

J. M. J

DOCUMENTA AUREA

A. R. A. P. ROOTHAAN

SUIS DISCIPULIS

In alba Russia tradita



MARIANOPOLI

Ex typis privatis Missionis Canadensis

1890

RB256794

J. M. J

DOCUMENTA AUREA

A. R. A. P. ROOTHAAN

SUIS DISCIPULIS

In alba Russia tradita



MARIANOPOLI

Ex typis privatis Missionis Canadensis

1890

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
University of Toronto

<https://archive.org/details/documentaaurea00root>

A. M. D. G.

Documenta aurea

QUÆ R. A. P. ROOTHAAN OLIM SUIS DISCI-
PULIS TRADIDIT, CUM PHILOSO-
PHIAM IN ALBA RUSSIA
DOCEBAT.

I

Observanda erga Deum.

Esto fidelis et fac quidquid potes, nam semper parum erit, quidquid feceris.

1. Respectu Ejus majestatis.—«Glorificate Dominum, quantum potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate Illum, quantum potestis: major enim est omni laude.» (Eccli. XLIII.)

2. Respectu Ejus beneficiorum.—Singularis momentis innumera accipis benefi-

cia, quorum vel singula tanta sunt, ut nec pro uno quidem vel per totam æternitatem satis esse gratus possis. «Minor sum cunctis miserationibus Tuis.» (Gen. XXXII.)

3. Respectu tuorum peccatorum.—Vel pro unico peccato veniali non posses satis laborare et pati, vel si diutissime viveres. «Non poterit Ei respondere unum pro mille.» (Job. IX.) «Peccatum meum contra me est semper.» (Ps. I)

4. Respectu summæ tuæ dependentiæ a Deo.—Innumerabiles sunt necessitates tuæ pro corpore et anima, pro scientia et virtute, pro tempore et æternitate, pro præsenti et futuro, pro te et pro aliis.

In his omnibus ita a Deo dependes, ut sine Illo nihil esse, nihil habere, nihil agere possis. Ab Illo dependet vita tua, ab illo successus tui et omnes circumstantiæ vitæ tuæ, in quibus Ille habet et

videt seriem prædestinationis tuæ, ab Illo mors, æternitasque tua. Jam vero nec pro minima Ejus gratia nec pro minimo auxilio promerendo satis unquam tu aut laborare aut pati possis. Vide ergo, ut huic tanto Patri ac Domino sis fidelis, ne Illum unquam deliberate offendas, aut per infidelitatem tuam Cor Ejus male erga te dispositum reddas.

Porro fidelitatem intelligi maxime velim:

i. In exercitationibus spiritualibus. — Meditatio ut fiat integre, nihil detrahen-
do temporis — reverenter, corporis situ
et mentis applicatione — fructuose, cum
applicatione ad se, ad vitæ emendatio-
nem, ad profectum in spiritu.

Examina, non solum generale, sed et particulare, fiant etiam integre, reveren-
ter, fructuose, cum dolore et emendatio-
nis proposito, reflectendo præsertim ad
causas et occasiones quotidianorum de-

defectuum, ut vitentur : sic nunquam sile
vescat animus.

Usus sacramentorum, conare ut sit
semper quædam quasi renovatio spiritus
propter bona desideria et gratiæ divinæ
auxilia.

2. In voluntate Dei exsequenda.—Circa
obligationes tui status in votis, in stu-
diis, in laboribus a Superiori injunctis, etc.

Circa observationem sanctorum regula-
rum : has nisi magni feceris, nihil profi-
cies (nam in illis habes voluntatem Dei
tibi indubitanter manifestatam) sed nec
peccata vitabis, nec a ruina eris securus.

Esto fidelis erga Deum : Deus certe erit
fidelis erga te, nec deseret te, nisi prius
a te deseratur.

«Qui fidelis est in minimo, et in majori
fidelis erit. »

«Qui in modico iniquus est, et in majo-
ri iniquus erit. »

II

Observanda erga superiores.

Omnia uno verbo possumus complecti : considera Christum in Superioribus, et eris talis qualem te vult Societas.

Ad particuliaria descendendo, debetur Superioribus :

i. Obedientia, non actu solum, sed et voluntate ; secus non erit actus virtutis, ac proinde non satisfiet voto. Vovemus obedientiam, quæ sit virtus ; ac talis non est, quum facimus jussa exteriore actu, interius autem murmuramus.

Talis nempe voluntatis obedientia præstanda in rebus omnino omnibus, etiam difficilibus ; nam si in facilibus, aut jucundis, quæ illa virtus ?

Talis virtuosa obedientia præstanda Superioribus in eorum monitis, etsi non a-

deo nostræ delicatæ et molli naturæ sapidis, in muneribus et officiis, etsi minus honorificis et commodis injunctis. Porro tende semper ad obedientiam, etiam intellectūs, idem sentiendo quod Superior.

Audesne judicium tuum anteponere iudicio Christi?

2. Reverentia: honrifice de illis sentiendo et loquendo. Et quomodo posses de Christi dictis, factis, dispositionibus male sentire aut loqui? Perinde Superiorum facta omnia ac dispositiones circa te aut alios semper bene explica.

Cave, cave, cave unquam murmures aut murmuratores audias, sed tales semper habe suspectos. Qui murmurant contra Superiores, certe non sunt boni Religiosi. Et si frequenter faciunt, sunt Religionis pestes. Quare cave, ne hac peste inficiaris.

3. Amor: illis semper adhærendo, cum

illis tenendo, desiderando illis in omnibus satisfacere, non propter aliquem respectum humanum, sed propter Christum, quem in illis consideras.

Omnes etiam illorum dispositiones amando, ita ut tibi sufficiat quod Superior ita disposuerit ut sis contentus.

Ama amore vere filiali. Si vero accidat, ut illos aliqua re offenderis aut offendisse te putas, non cape quietem donec illis satisfacias. Hoc vere filiale et vicissim, paternum amorem conciliat.

Cavendum maxime, ne aliquid de hoc amore perdas, quod aliquid quandoque durius injungatur, aut aliquid, quod petieris, negetur. aut propter aliquam reprehensionem.

Numquam admitte istam cogitationem, quasi talia prodierint ex minore affectu Superioris erga te. Hæc enim tentatio diaboli periculosa.

Si aliquid injungatur, quod impossibile videatur exequi, commenda rem Deo ; et, si in Domino putas, te non posse, propone difficultates candide ac simpliciter, paratus tamen dein facere, quod jussum fuerit, quantum potueris. Scito et disce experientia verum esse illud : « Vir obediens loquetur victorias. » Obedientia servata facit pacem cordis, meretur auxilium Dei ; non servata, inquietudinem animi, diffidentiam de Deo, infinitos defectus, et punitur saepe inobedientiam carnis contra castitatem. Quantam consolationem habebit in morte anima vere obediens !

Denique ut hanc virtutem assequare, sine qua verus Societatis filius esse non potes, 1, considera Christum in Superioribus ; 2, parvos in hoc genere defectus magni fac ; 3, quidquid in hac parte commiseris, id nunquam omitte in confessione.

III

Observanda erga fratres.

« Filioli diligite alterutrum, » ita dilectus Jesu discipulus, idque assidue repetebat ; quia, ajebat, præceptum Domini, et, si hoc servetur, sufficit.

Erga Fratres itaque charitas, sine qua nec discipuli erimus Christi, multo minus socii ; nec Christiani, multo minus veri Jesuitæ.

Sed qualis charitas ?

1. Sincera ; itaque non in exteriore solum specie, non verbis ad humanitatem solum compositis, quæ politica sæcularium urbanitas est, sed vero affectu et verbis se prodat et obsequiis etiam cum suo aliquo dispendio. Nam « charitas non quærit, quæ sua sunt. »

2. Solida ; fundata scilicet non in carne

et sanguine ; non in complexione, aut naturali quadam morum convenientia, sed in Jesu Christo ; ut scilicet ideo fratres diligamus, quia sunt fratres Christi, Ejus pretioso sanguine redempti, et charitas erga illos nobis a Jesu Christo commendata. Talis si erit charitas nostra, erit constans et universalis : nam nunquam hæc motiva charitatis cessabunt, nec ullus erit unquam, etiamsi nobis nostræque naturæ maxime displiceat, aut etiam inimicissimum se exhibeat, in quo hæ ipsæ amoris causæ non insint.

3. Benigna et patiens ; non enim inter Angelos, sed inter homines versaris. Charitatem servare, si a nemine quidquam patiaris, nisi tigrinam quis, non humanam naturam habeat, non est difficile.

4. Tenera ; respectu aliorum, tanquam pupilla oculi, quæ minima re læditur. Ita cave vel minima quæque, quibus cha-

ritatem lædere posses, et, si quid tale accidet, in confessione non omitte.

Sed tamen sit charitas etiam :

5. Prudens ; « Estote prudentes sicuti serpentes. » Serpens totum corpus exponit, ut caput tegat, quia in illo vita : ita tu pro charitate nil refugito, at non nisi quantum conscientia permittit. Charitas non est charitas, si sit cum dispendio salutis, aut perfectionis, cum violatione obligationum status ac regularum, aut contra Superiorum voluntatem.

Ama propter Christum et nil facies contra Christum. « Nil ergo fac, nil omitte propter merum respectum humanum, alias nil unquam magni pro gloria Dei operaberis : » S. P. N. Ignatius dicit.

Huc pertinet, ne quæras statim cujusque amicitiam, sed prius prudenter videas, quam bonus sit religiosus : ne, conjungens te cum solutioribus, illis similis fias.

Cave, cave familiaritatem et affectum nimium erga quemcunque etiam optimum, si castitatem tuam cupis illibatam servare.

Exempla cujuscumque, si non sunt bona, non imitare : non respice quis hoc faciat, sed magis quid faciat. Hoc magni momenti, ne scandalizeris : neminem iudica, at omnes non imitare.

Ne placere velis omnibus. Nam :

(a.) Hoc impossibile est.

(b.) Innumerabilium turbationum occasio.

(c.) « Si hominibus placerem, servus Christi non essem, » ait S. Paul. ; et quomodo socius ?

(d.) Placere hominibus, non est pax filiorum Dei.

IV

Observanda erga se.

Possent omnia uno verbo dici : « vince

te ipsum » i. e. ne sequere naturæ inclinationem, sed viriliter illi obsiste, sic deum acquires veras virtutes.

« Post concupiscentias tuas, ne eas, et a voluntate tua avertere. » Quod placet naturali tuæ inclinationi, id vel hac sola ratione sit tibi suspectum. Quod tuæ naturæ et gustui contrarium accidit, hoc certe bonum tibi est, modo ipse velis.

Cave autem maxime :

1. Superbiam, sive in spiritualibus, sive in litterariis. « Deus enim superbis resistit. » Hinc :

(a.) Non admitte opinionem bonam de te ipso. Si tibi ipsi places, Deo displices.

(b.) Ne te jacta unquam. « Laus propria foetet. » « Fac multum, loquere parum. » (S. Berchm.)

(c.) Noli laudari ab ulio ; hoc enim nunquam est utile, semper periculosum,

sæpe noxium. Itaque suspectos habe adulatores. « Popule meus, qui te beatum dicunt, illi te decipiunt et vias tuas dissipant. » (Isa. III.)

Effectus superbiæ sunt :

- (a.) Præsumptio.
- (b.) Contemptus aliorum.
- (c.) Inobedientia.
- (d.) Tenacitas judicii proprii.

Pœnæ sunt in spiritualibus :

- (a.) Peccata.
- (b.) Lapsus.
- (c.) Ruina.

Pœnæ sunt in litteris :

- (a.) Turpes errores, et
- (b.) Aures asininæ.

2. Otium, unum ex illis tribus quæ sibi maxime cavenda statuerat S. Berchm.

Cave illud : nam valde malum :

- (a.) In se : Perditur pretiosum tempus, de cuius singulis particulis reddenda erit

stricta ratio.

(b.) Regularum violatio. Adeuntur cubicula aliena, garritur (sæpe etiam de rebus malis), contrahuntur familiaritates, quæ quandoque horrendam adducunt ruinam, dum libera sequitur conversatio, tactus violatur, etc. Diabolus enim non otiaatur cum maxime.

(c.) In otio tentationes magis invadunt.

(d.) Tristitia et melancholia obruunt.

(e.) Peccata et innumeri defectus fiunt.

(f.) Ignorantia rerum suarum, quæ faciet, ut otium suum, quo in Scholasterio tempus consumpsit, deploret per totam vitam, utinam etiam non per totam æternitatem! Si non habes quod agas, pete laborem a Superioribus.

3. Gulam ; hoc crassum vitium est, et valde turpe in Religioso ; cum isto communiter nec in spiritu nec in litteris multum proficiatur.

Prodit se hoc vitium :

(a.) Ex modo comedendi immodesto, qui effusionem animi per cibum demonstrat.

(b.) Ex sollicitudine ut hoc vel illud ad se perveniat, et murmuratione, si quid aliquando desit.

(c.) Ex colloquiis de cibis, etc.

Hæc ergo cave, et conare semper animo esse indifferens ad ciborum et quantitatem et qualitatem.

Scito porro, si huic vitio indulseris libere, nunquam te fore spiritualem hominem, imo neque castum.

4. Serva modestiam, quæ multa parit et magna bona, quæ immodestia perdit.

Et mortificationes consuetas nunquam omitte ex negligentia—nam licet parvæ sint, valde habent tamen magnas gratias sibi annexas.

A. M. D. G et B. V. M. H.

Hæc in unione et benedictione Misericordissimi Cordis Jesu et Dulcissimi Cordis Mariæ ut prosint ad vitam æternam, en tibi, Lector benevole, scripta atque oblat a. Vale!
